



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 12. Ex Passionis meditatione compassio, & lacrymæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

*Ostendit eis manus, & latus.* Joan. 20. 20. Christus Discipulis tam gaudioso die cicatrices vulnerum suorum ostendit, ad coërendam omnem lætitiæ intemperantiam. Id. ib.

Nihil est, quod ita ab omnium vitiis impulsu, & contagione, cogitationem nostram purificat, & in puritate conservet; sicut jugis memoria crucis, ac Passionis Domini Jesu. S. Bernardus de Pass. D. c. 44.

Num. 4.

#### Oblivio Passionis.

*A demonio meridiano.* Ps. 90. 6. Est demonium meridianum, avertens à meridie claritatis; quæ Mundo in meridie obscurato ex morte Salvatoris insulsi. Vexatio quidem non cessat, ut homines arceantur à memoria Dominicæ mortis. Sim. Cas. l. 5. c. 24.

Inimici mei sunt quasi bestia ferocissima. Horum cor sic est vacuum à charitate mea; quod nunquam in eo intrat cogitatio Passionis meæ. Nunquam semel adhuc processit de intimo corde eorum hoc verbum: Domine redemisti nos! laus sit tibi pro amara Passione tua. Ipsorum cor plenum est vermibus vilissimis, id est, affectionibus Mundi. In ore eorum posuit diabolus sterces suum; & ideo non placent ei verba mea. l. 1. revel. 5. Brig. c. 6. verba Chr.

§. XI.

#### Passionis Meditatio.

*Obscuratus est sol.* Luc. 23. 45. Mirò modo voluit hunc Deus circumcidere oculos hominum cum tenebris densis; nè visus in objecta forinseca vagaretur; sed ut ingrederetur ad cor, ad considerationem eorum, quæ agebantur Dei Filio, & in ipso agebantur. Et diem verterunt in noctem, ut intentior fieret contemplatio arcanorum. Induxit igitur Dominus tenebras super orbem; ut nec aliquid intuerentur oculi; nec moverentur, & pedes, ut in quiete corporis, & privatione forinsece luminis sedule meditarentur hi, qui propè: similiter & qui longè Dei Filij Passionem similiter & omnem mysterij actionem. Sim. Cas. l. 13. hic.

*Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu.* Philipp. 2. 5. Non dicit, cogitate, contemplamini, aut loquimini, de Passione Domini; sed ut animò, & corde sentiatis. *Sentite in vobis*, id est, transferte in vos ipsos dolores, quos sensit Jesus Christus: nisi enim illos in vobis sentiatis, & experiamini, non potestis, quanti, & quam acerbi sint, cognoscere. Diez s. de Pass. Dom. Cupiebat plantare in cordibus Fidelium continuam Passionis Dominicæ memoriam; & ita insculpere, ut nunquam exideret. Non dixit, cogitate de ea; sed *sentite*. Debes considerare

*Polyan. b. Sacra. Tom. II.*

cum gustu Passionem Christi; & consideratio sit viva, sensualis. Cum quidpiam non sentimus, id evenit; vel quia in se est tam exiguum, ut opus sit attentione magnâ ad percipiendum; vel sensus tam obtusus, ut, licet res sit magna, egeat ad illud videndum excitatione. Cum autem Passio Domini sit res maxima, & pretiosissima earum, quæ nobis in Mundo data sunt, quâ Deus exercuit omnem suam potentiam, scientiam, & charitatem; certum est, quòd illam non percipias: quia tu insensibilior petris existis; quæ eam senserunt, & scissæ sunt, Stella de cont. an. Mundi p. 1. c. 95.

*Et intus plena sunt oculis.* Apoc. 4. 8. Ostenditur hic Christus non in gloria, ut Ezech. 1. 5. sed tanquam vulneratus, & occisus. Apoc. 5. 6. Tot hic meditanda, ut innumeri oculi requirantur. Sylveira hic.


§. XII.

#### Ex Passionis meditatione compassio, & lacryma.

*Is quasi mulier jam plurimò tempore lugens mortuum; & ingredieris ad regem &c.* 2. Reg. 14. 3. dicebat Joab Thecui. Quis est mortuus ille, quem plurimò, imò totò, vitæ tempore lugere debet anima Christiana; nisi Christus? qui passus, mortuus, & sepultus pro nobis. Jonghen Nupt. agni p. 1. Exh. 10.

*Nolite flere super me &c.* Luc. 23. 28. q. d. attendite, quòd causa fletus non est in me, sed in vobis. Hugo Card. in Gen. c. 45. Sol obscuratur, terra movetur, petra scinduntur, velum templi dividitur, sepulchra aperiuntur: solus miser homo non compatitur, pro quo solo Deus patitur. S. Bonaventura hic. Mirum, me vidisse sæpe recolui, auditâ Christi Passione multos, etiam reprobos, prorupisse in lacrymas: quas ut elicerem ab oculis audientium concionando ad populum, stultè, nescio, an peritè, per pia verba sæpe tentavi: maximè ab illo tempore, five die, quòd Ecclesia Christum per sua officia recolat crucifixum. Cumque ad propria remeasse illos aspicerem; Christi Passionibus, & lacrymis, & virtutibus, valedixisse cognovi: & de pristina conversatione nihil mali fuisse ademptum; nec flevisse facinora, propter quæ Passio fuit collata, quam fleverant. Sim. Cas. l. 13. in Luc. 23. 28.

In monte Calvaria quatuor columnæ marmoreæ perpetuò stillantes aquam: quasi æternis lacrymis Passionem Dominicam commemorantes. Nierembergus l. de mir. nat. terræ sanctæ c. 65. ex Petro à S. Dominico.



P p 2

§. XIII